

1571 peditio*n*is futuros polliceantur : perfracto ponte , quo insula continent*i* jungitur , spe subsidiorum sublata , reliqua facile , imparatis , atque nihil ejusmodi metuentibus hostibus , confici posse : in id se muralia tormenta e Corcyra adverbenda curasse ; graci equitatus florem ex Corcyra , Cephalenia , & Zacontho ad ducentos ductu Sophiani Eudemanni ; trecenos ex iisdem locis pedites , ex ordinum militia coegisse ; octingentos in triremibus in promptu esse : neque vereri , quin , brevi oppido atque insula potiti , ex situ , quod continent*i* immeat , ad majora in finitimas regiones peragenda sibi aditum patefiant : virtute , ac celeritate opus esse , quorum alterius eximia vel in praelio , vel in reliquis expeditionibus argumenta milites dederint ; alterius praestandae penes duces facultas sit .

Jacobi superantii contra Venerii sententiam disceptatio.

Huic Venerii sententiæ Jacobus Superantius , cui jam communis consensu in Aegæum profectio injuncta fuerat , vehementer adversabatur . Non ignobili oppugnando oppido universam classem distineri oportere ; neque certos in hostem progressus inani spe corrumpendos : non eos esse audiendos , qui nulla militari scientia , nulla re bello gesta , potius voluntatem , quam rationem ducem sequantur ; neque credendum adeo dissipatos , atque perculpos Turcas esse , ut brevi peditum atque equitum manum ad nostrorum impetum inhibendum colligere non possint : Christianos quin etiam , ni prius fœderatorum exercitum excensionem fecisse cognoverint , palam auxilium minime laturos : non eum in classe militum numerum , qui expugnandæ urbi sufficiat ; non terrestrium copiarum praefectum : tempore hæc egere . Cur igitur , quæ mature Corcyrae decreta fuerint , pervertantur ? nihil praestantius , nihil utilius confici posse , quam si ipse statim cum sexaginta triremibus sese in Aegæum proripiati , maria excurrat , navitia capiat , boates perterreficiat , apparatus ad classem Turcicam vel renovandam , vel sarcendam proterat , infestam hosti intritamque navigationem reddat : inde Venerio suadere , ne , que omnium sententiis statuta fuerant , importuna cunctatione impedire vellet ; secum reputaret momento præclaras rerum gerendarum occasiones intercipi . Quis porro eorum , qui ei Leucadiis oppugnande auctores essent , vel situm , vel propugnatorum robur ac numerum , vel mœnia , tormenta , bellicos ap-

para-